



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Sectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

DISPUTATIO XXVIII.

De Causis suspensionis.



EXPLICATA essentia, & effectibus huius censuræ, dicendum superest de causis eius. Quam materiam cum late de censuris in communi eam tractauerimus, hic breuissime expedire possumus, solum applicando ea, quæ ex generali ratione censuræ ipsæ conueniunt, & si quid proprium, & peculiare habet annotando. Concurrent autem limitationem ad hanc censuram omnia genera causarum; & ideo per singula breuiter discurremus.

SECTIO I.

Quis possit censuram, seu penam suspensionis ferre.



DE potestate instituendi hanc censuram & de institutione eius eadem ratio est, quæ de qualibet censura in communi: nam potestas à Christo manauit; institutio ab Ecclesia fuit: initium quidem habens ab Apostolis ut ex canonibus eorum, præcipue 24. & sequentibus intelligitur: consummata vero, & ad certam formam discursu temporum redacta est, ut constat ex decretis nuper citatis, & ex dictis supra disputatione 2. His ergo omissis, de causa quæ proximè potest ferre censuram, est regula generalis.

Regula generalis.
Antonin.
Nauarr.

Omnis & solus ille, qui potest excommunicare, potest suspendere. Ita communiter Summis verbis, *Suspensio*, Antonin. tractatu de suspensione. Nauarr. ca. 27. num. 159. Ratio est, quia vnica, & eadem est potestas iurisdictionis, quæ ad censuras ferendas sufficiens est, & licet posset per Ecclesiam committi iurisdicção ad hunc actum, & non ad alium, tamen regulariter id non fit, quia omnes hæ censuræ ad eundem finem ordinantur, & sese mutuo iuuant ad comprimendam rebellium contumaciam: & ideo qui potestatem habet ad excommunicandum, habet etiam ad suspendendum, & e conuerso. Maioris tamen claritatis gratia possumus distinguere potestatem hanc in ordinariam, & delegatam. Prior est in Episcopis, & aliis, qui iurisdictionem Episcopalem participant: & in his certum est hanc iurisdictionem nunquam diuidi, quia eius quasi adæquatum obiectum non est hæc, vel illa censura, sed censura simpliciter: imo, si de illa potestate absolute, & secundum se loquamur, non solum hoc habet pro adæquato obiecto, sed pastorale regimen ordinarii Ecclesiæ, non in solo interiori foro, sed in exteriori, quod quidem regimen omnes illos actus includit, iuxta modum gubernationis, quem Ecclesia sibi instituit. At vero, iurisdicção delegata, potest quidem pro voluntate delegantis ad vnum actum, & non ad alium committi: quia non sunt ita essentialiter conexi, quin possint separari. Hoc tamen cum voluntarium sit, sub scientiam non cadit: ideoque solum dicere possumus, primum hoc regulariter non fieri; quia nec necessarium est, nec expedit ad finem huiusmodi delegationis seu commissionis. Deinde hanc potestatem delegatam in eis tantum reperiri, quibus committitur ab habente ordinariam, & in eo gradu, & mensura, qua committitur.

Potestas hæc
ordinaria
& delegata
esse potest.

Ex quibus inferitur, hanc censuram interdum ferri

A ri à iure, interdum vero ab homine immediate: his enim duobus modis diximus ferri posse censuram: à iure, & à homine, & de excommunicatione etiam in particulari id declarauimus. Eadem autem est ratio in præsentia. Et de suspensione quidem à iure multa exempla, & decreta in superioribus disputationibus citauimus. Ad discernendum autem, quando in ipsum suspensionem imponat ipso facto incurrendam: iure, quando vero solum designet suspensionem imponendam à iudice, seruandæ sunt regulæ traditæ de censuris in communi: quibus hic nihil addendum occurrit. Suspensiones autem ipsas, vel omnes, vel præcipuas: quæ iure communi & Pontificio hæcenus late sunt, inferius disp. vlt. huius materie in particulari declarabimus. De suspensione autem ab homine, quod sæpius ita feratur, ex perpetuo vsu Ecclesiæ manifestum est. Quæ autem conditiones requirantur ex parte hominis, ut eam ferre possit, de censura in communi satis declaratum est: eadem enim in ferente suspensionem requiruntur. Nimirum quod sit vir, & non femina. Atque ita exposuimus cap. *Dilectus*, de Maior. & obed. ubi affirmari videtur Abbatissam quandam suspensionis sententiā tulisse: non tamen dicitur valide tulisse: neque etiam illam fuisse veram sententiā suspensionis, sed aliud præcepti genus: vnde ibidem Pontifex præcipit prælato, ut per censuras compellat obedire illi Abbatissæ in his, quæ iuste præcipiebat. Deinde requiritur, ut baptizatus sit, & clericus, & distincta persona ab eo, in quem suspensio fertur, & iurisdictionem habens Ecclesiasticam fori contentiosi, & expeditam ad operandum: ita ut qui suspendit, excommunicatus, aut suspensus ipse non sit: quæ omnia cum multis aliis, quæ ad illa concurrunt, illic fuse explicata sunt.

Solum potest hic quæri, an Episcopus sine Capitulo possit clerico suspendere. Breuiter tamen dico, olim ordinatum fuisse, ne Episcopus in clericum ferret sententiā nisi præsentibus clericis, cap. penult. 15. qn. 7. Et additur, *Alioquin irrita erit sententia Episcopi*. Sed illud receptum nunc est, imo cum illud decretum fuerit Concilij P. ouincialis Carthag. 4. non constat vnquam fuisse in vniuersa Ecclesia admissum. Postea vero Alexander III. in cap. 1. de excessibus, mandat ne sine iudicio Capituli Presbyteros attentent suspendere, vel Ecclesiam eorum interdiceret. Vbi primum expendo non loqui de omnibus clericis, sed de Presbyteris, neque esse in lege exorbitante extensionem faciendam. Secundo non loqui de excommunicatione, licet Glossa male extensionem faciat contra textum paulo inferius, & contra principia de odiis non extendendis vltra vim verborum. Tertio hinc omnes limitant textum illum ad suspensionem, quæ fertur in puram vindictam delicti commissi: nam illa, quæ est censura, & medicinalis poena, habet eandem rationem quam excommunicatio, & quasi pertinet ad potestatem præcipiendi, quæ non est deneganda Episcopo. Quarto in illo textu non adduntur verba irritantia, & ideo ex vi illius, licet Episcopus male faceret suspendendo presbyterum sine Capitulo, si tamen faceret, factum teneret. Alij denique limitationes adhibentur, quas examinare omitto, quia opinor solennitatem illam non esse vsu receptam, sed potius consuetudine esse contra illam præscriptum, iuxta cap. 3. de Consuetud. in sexto, ideoque libere posse Episcopos sua iurisdictione vti: quod Panormitanus & alij ibi sentiunt. Quantum vero extendatur hæc iurisdicção vnius Episcopi ad subditos alterius, qui in suo territorio versantur, vel ratione delicti, vel ratione quasi domicilij, sufficienter attigimus de Censuris in communi.

SECT.

SECTIO II.

In quas singulares personas possit suspensio
cadere.



N Subiecto huius censuræ in primis considerari debent omnia, quæ supra in simili de censuris in communi sunt dicta, quæ hic repetere non est necessesse. Deinde supponendum est hanc censuram (in quo ab excommunicatione differt) non solum in personas singulares, sed etiam in communitatem ferri posse. Et ideo de his duobus membris figillatim dicemus. Circa primum statuendum est, suspensionis proprium esse, ut is qui suspenditur clericus esse debeat: nam hæc poena clericorum propria est, ut supra diximus, quia materia eius clericorum est propria, tota enim illa materia sub officiis & beneficiis Ecclesiasticis continetur: hæc autem omnia in solis clericis inveniuntur. Et ita docent communiter Summistæ, Nauarra. in cap. 27. num. 150. & 151. Syluester verb. *Suspensio*, in principio, & Angelus verb. *Suspensio*, i. in principio, Caietan. eod. verbo. Et consentiunt Canonistæ cum Glossa in cap. *Quicumque*, verb. *Ministros*, de Sentent. excommunicat. in 6. Innocentius in cap. ultim. de Excessib. prælat. & Abbas in cap. *Dura*, de Crimine fals. num. 10. Et colligitur, vel inductione facta ex omnibus locis iuris canonici, in quibus hæc censura fertur, vel ferenda præcipitur: ubique enim tantum ad clericos dirigitur.

Nauarra.
Syluest.
Angel.
Caietan.
Glossa.
Innocent.
Abbas.

Obiicit.

De iure
pisciporum
pendentibus
vicum suum
Capitulum.

Armilla.

Confirmatio.

Solutio ob.
iuramentum.

Confirmatio
inducitur.

Obiicit tamen contra hoc potest Extrauagans v-nica de Censibus inter communes, ubi sic dicitur, Alioquin extunc recipiens, si clericus fuerit, tantum ab officio & beneficio sit eo ipso suspensus: si vero laicus, tamdiu ingressum Ecclesie sibi nouerit interdictum, & communione Eucharistie nouerit se ipso facto suspensum, donec & c. datur ergo aliqua suspensio laicis communis. Item Abbas & alij dicunt genus quoddam suspensionis esse à participatione sacrae sacramentorum, quæ laicis communis est: & ideo fortasse dixit Armilla verb. *Suspensio*, num. 17. omnem illum posse suspendi, qui potest excommunicari. Et augetur difficultas ex superius dictis, nam suspensio non tantum priuat vñu officij vel ordinis iam obtinenti, sed etiam obtinendi seu recipiendi nouum ordinem, & similiter suspensio à beneficio non solum priuat fructibus beneficii habiti, sed etiam impedit nouum obtinere beneficium: ergo, quantum ad hæc poterit laicus ab officio vel beneficio suspendi; quia potest impediri ne ordinetur, & consequenter ne officium, vel beneficium Ecclesiasticum recipiat. Respondetur, Extrauagantem illam in ea distinctione, quam facit, potius confirmare maxime dictam sententiam: nam loquens de suspensione ab officio vel beneficio, quæ est propria censura, de qua nunc agimus, illam solis clericis attribuit, & ad hoc præmittit distinctionem inter clericos & laicos: quod etiam expresse fit in cap. *Dura*, de Crimine falsi, & in cap. *Tuam*, de Priuilegiis. Cum ergo in dicta Extrauagante laici dicuntur suspendi à communione, latius sumitur verbum suspendendi pro quacunque prohibitione: unde non significat specialem censuram, sed quādam partem minoris excommunicationis: quomodo etiam supra diximus separationem ab vñu sacrae sacramentorum non esse proprie censuram suspensionis, sed excommunicationem minorem. Quare Armilla, vel falsum dicit, vel æquiuocatur verbo, *Suspendendi*: cum ibi esset sermo de censura suspensionis.

Ad alteram partem respondetur, censuram suspensionis per se, & directe non ferri nisi in vñum Ecclesiasticum officij, aut beneficii, quantum ad per-

ceptionem fructuum; mediate vero & consecutio ne quadam impedire perceptionem vñterioris ordinis, aut beneficii. Nam impedimentum, quod per se respicit futurum ordinem, potius est irregularitas, vel inhabilitas quædam, si latius sumatur. Deinde dici potest, propriam suspensionem habere rationem priuationis moralis, & ideo supponere salutem potentiam proximam ad ordinem, vel beneficium Ecclesiasticum: nam ex vi suspensionis non impeditur ascendere ad superiorem ordinem, nisi qui iam habet inferiorem, qui est veluti potentia proxima ad superiorem; cuius potentie vñus quidam est ipsa susceptio superioris ordinis: à primo vero, seu infimo ordine suscipiendo non suspenditur, nisi qui iam habet primam tonsuram, qui clerici etiam nomine comprehenditur, ut patet ex capite. Cum contingat, de Aetate & qualitate & capite ultimo de Tempore ordinis, in sexto, & per ipsam primam tonsuram est veluti in potentia proxima ad sacramentales ordines, ut constat ex vñu Ecclesie, & sumi potest ex his quæ tradidit Concilium Tridentinum sess. 23. capit. 4. & sequentibus de Reformat. Quod si illam nominem ordinem comprehendamus, ut Canonistæ loquuntur, susceptio primi ordinis sacramentalis erit quidam vñus ipsius primæ tonsuræ, sicque clericus primæ tonsuræ per suspensionem ab ordine impediri poterit, ne aliquem ordinem sacramentalem suscipiat, quia impeditur ab vñu ipsius primæ tonsuræ per quam iam est in potentia proxima ad talem ordinem. Sed opinor talem suspensionem ab ordine non esse in vñu. Facilius potest ligari talis clericus per suspensionem etiam generatim latam ab omni iurisdictione Ecclesiastica, etiam si nullam actu habeat, vel ab omni beneficio Ecclesiastico, etiam si nullum habeat, quia ex vi talis suspensionis prohibitus est, ne durante tempore suspensionis, tale officium, aut beneficium suscipiat; quod si illud susceperit, factum quidem tenebit, quamuis male faciat, non tamen poterit iurisdictione vñti, aut fructus beneficii percipere, donec à suspensione liberetur. Ad hunc ergo modum censura suspensionis clericorum propria est.

Suspensio an omnibus clericis communis

Debitari autem potest primo, An omnes clerici suspendi possint. Secludimus autem Summum Pontificem, qui non est capax censuræ, ut supra dictum est. Supponimus ius, rationem, vñ causam censuræ, de quo infra, & loquimur de capacitate subiecti. Hæc ergo potest vel absolute, vel comparate considerari. Absolute omnes sunt capaces, etiam Episcopi & Cardinales, quia ordo, vel dignitas magna non reddit illos incapaces poenæ, vel medicinæ, nec ab omni subiectione humana liberos. Comparatio vero fieri potest, vel ad suspendentem, & sic non quilibet à quolibet, sed vnusquisque à suo Prælate, quem iure ordinario, vel ex priuilegio habet, suspendi potest, ut Cardinales à solo Papa, Episcopi ab illo, vel Concilio: exempti à suis Prælatibus, & c. Vel fit comparatio ad formam suspensionis, & sic respectu aliquorum necessaria est specialis forma.

Circa priorem vero comparisonem occurrit speciale dubium. An persona quæ per priuilegium speciale recipiuntur in proprios & speciales Ecclesie Romanæ filios, possint suspendi ab alio, quam à Romano Pontifice, vel legato ab eius Latere destinato iuxta capitulum, de verborum significat. in 8. Et ratio dubij est, quia in dicto cap. 1. solum dicitur sic receptos in filios Ecclesie Romanæ interdicti & excommunicari ab aliis non posse; de suspensione vero nulla ibi fit mentio, sed priuilegia non plus valent, quam sonant eorum verba, & verba, quæ implicite, & quasi ex impositione iuris aliquid

Quis possit
suspendere
receptos in
speciales
Romana
Ecclesie filios.

aliquid continent, ultra ipsius iuris interpretationem extendi non possunt, ergo per illa verba non eximuntur tales personæ ab inferioribus prælatis quoad suspensionem. Nihilominus Glossa. 161. verb. *Interdicti*, suspensionem ibi comprehendit, putat, tum quia illa est quoddam interdictum: tum etiam, quia omnia illa tria continentur sub appellatione censuræ. Verumtamen hæ rationes mihi non satisfaciunt: nam, licet late utendo his verbis, *interdicto*, & *Suspensio*, vnum pro alio interdum sumatur, tamen, iuxta propriam significationem iam receptam ad significandas species censurarum, nec interdictum est suspensio, neque e converso. Maxime autem sumi videtur verbum interdicendi in hac proprietate in prædicto textu, ubi agitur & de propria & iuridica significatione verborum: & de interpretatione cuiusdam privilegij; & ubi verbum interdicendi à verbo excommunicandi distinguitur; & paulo inferius interdictum ab excommunicatione, nulla facta suspensionis mentione. Vnde etiam parum refert, quod suspensio æque contineatur sub genere censuræ, ac alia, quia in illo textu nulla est mentio censuræ, sed tantum specierum eius: & argumentum à simili, ut sæpe dixi, in his rebus firmum non est: nam, licet hæ censuræ in aliquibus rebus æquiparentur iure, non tamen in omnibus; ut paulo inferius ostendimus ex capitulo *Quia periculosum*, de Senten. excommunicat. in 6. Quapropter in rigore dicendum censetur ex vi illorum verborum prædictas personas non esse exemptas quoad suspensionem, sicut non sunt exemptæ simpliciter quoad alios actus subiectionis, ut ibidem dicitur, & in cap. *Si Papa*, §. *Similiter*, de Privileg. in 6. Quia appellatio specialis filiationis, licet ostendat peculiarem amorem, & protectionem; non tamen peculiarem subiectionem, nisi in his, quæ ipse Pontifex declarat: ille autem solum declaravit per ea verba exemptionem ab aliis duabus censuris; ergo. Item potuit esse specialis ratio, quia excommunicatio, & interdictum magis priuant spiritualibus commodis, quam suspensio; ideoque ad illum specialem amorem filiorum magis pertinet, quoad illas duas censuras eos sibi reservare. Accidit, quod cum Pontifex vult ab omnibus eximere: omnium mentionem facit, ut patet ex cap. 1. §. *In eos*, de Privileg. in sexto.

Dubii resolutio.

Qui per generalem sententiam suspendantur.

Nauarr.

Circa posteriorem comparisonem ad formam suspendendi queri potest, an Episcopi per generalem sententiam suspendi possint. Et respondendum est negativè, ex cap. *Quia periculosum*, de sentent. excomm. in 6. ubi idem de interdicto dicitur, de excomm. autem nulla fit mentio: & ideo Glossa ibi declarat privilegium illud ad excommunicationem non extendi. Quem approbant communiter interpretes ibi, & Nauarrus cap. 27. num. 165. Extenditur autem illud privilegium, non solum ad suspensionem ab officio, sed etiam à beneficio, ut supra declaravimus ex cap. *Si compromissarius*, de Elect. in 6. Excluis autem Episcopis, & eorum superioribus, ut in eodem cap. *Quia periculosum*, dicitur, reliqui omnes inferiores clerici possunt per generalem sententiam suspendi, quia suspensio, sicut quælibet alia censura, potest per generalem clausulam ferri: ergo omnes, qui non sunt specialiter exempti, in illa comprehenduntur. Aduertere autem oportet attente ad verba legis, vel sententiæ, & propriam, ac receptam significationem eorum, ut discerni possit, quam sint vniuersalia: si enim simpliciter dicatur *Quicumque*, vel *omnis*, qui hoc fecerit, vel *Omni persona Ecclesiastica*, vel aliquid huiusmodi, distributio est facis vniuersalis complectens clericos omnes, siue regulares, siue seculares; siue simplices, siue in quacunque dignitate infra Episcopatum constitutos.

An Episcopus

Queritur tamen potest, An Episcopus electus & confirmatus nondum consecratus gaudeat priui-

legio dicto. Videtur enim ita affirmandum, quia ille est verus Episcopus, & actus iurisdictionis exercere potest: & textus indistincte loquitur: ergo, non comprehenditur sub clausula generali. Et confirmatur, quia alia privilegia concessa Episcopis extenduntur ad confirmatum, & nondum consecratum. ut illud de eligendo confessor. cap. ult. de Pœnit. & remiss. & aliud de portando altare viatico & cap. ult. de Privileg. in 6. Denique facit, quod fauores ampliandi sunt, & privilegia, præsertim à Principe concessa, quoad fieri possit iuxta verborum proprietatem. In contrarium tamen obijci potest primo ratio illius cap. *Quia periculosum*, scilicet propter executionem Episcopali officij, quod frequenter imbutur. Quæ ratio locum non habet in eo, qui nondum est Pontifex consecratus. Secundo obijci potest, quia nomen Episcopi proprie videtur esse nomen ordinis, seu consecrationis, sicut nomen sacerdotis aut Presbyteri: & hoc modo in prædicto cap. ex prædicta ratione, & ex citato verbo, *Pontificali officij*, sumi videtur. Tertio facit, quia privilegium exorbitans à iure communi potius restringendum est. Sed hæ rationes habent claram solutionem ex dictis, quia non obstante illa ratione illius textus, privilegium illud extenditur ad suspensionem à beneficio, quamvis illa non impediatur pontificale officium, & ideo necessario dicendum est, rationem illam fuisse motiuam, seu impulsivam, non tamen adequatam, sed hanc fundari in Episcopali dignitate: ergo idem in præsentia dicitur. Constat etiam ex aliis iuribus citatis nomine Episcopi significari tollere illum qui iam habet beneficium Episcopale quamvis nondum ordinem habeat. Idem ergo in præsentia dicendum videtur.

Sed queri potest, an suspensio generatim lata in omnes clericos, comprehendat tam regulares, quam seculares clericos. Cum enim verba sint generalia, seu absoluta, comprehendere videntur omnes veros clericos, at regulares clericos, tamen sunt vere clerici, sicut seculares (loquimur enim de regularibus ordinatis.) In contrarium vero est, quia, licet prima significatio illius vocis ita vniuersalis esse videatur, tamen iam ex usu videtur accommodata ad significandum specialiter secularem clericum. Vnde & in iure appellatio clerici solet à religiosis distingui, ut patet in Clement. 1. de Privileg. in principio: verba autem legis vel sententiæ generalis sunt accipienda iuxta frequentiore usum, & præsertim in materia penali & odiosa, in qua restringenda sunt. Accedit, quod in iure, quando clerici regulares cum secularibus simul comprehenduntur, id specialiter declaratur, ut videre licet in Clement. 2. de vita & honest. cleric. Verumtamen textus ille si attente legatur, parum fauet posteriori sententiæ: & potest potius in contrarium induci: nam aliud est loqui de religiosis absolute, aliud de clericis religiosis: quanquam enim omnes religiosi Ecclesiastica personæ dici possint, non tamen omnes sunt clerici, nisi aliquem ordinem, vel saltem primam tonsuram susceperint, ut colligi potest, ex cap. *Duo sunt*, 12. quæstio. ubi religiosi, licet à laicis distinguantur, si tamen ordinati sunt, non clerici, sed conuersi appellantur. Quando ergo lex aliqua disponens aliquid circa clericos vult illud extendere, non solum ad religiosos clericos, sed absolute ad religiosos, necesse est ut de illis specialem mentionem faciat: quia clarum est appellatione clericorum non venire religiosos, ut sic: & hic est casus illius Clementinæ, ut patet ex illis verbis generalibus, *Et religiosi quilibet*. Nos autem inquirimus, an nomine clericorum veniant religiosi clerici, non quatenus religiosi sunt, sed quatenus clerici: nihil ergo fauet textus ille prædictæ sententiæ. Potest autem contra illam retorqueri, quia agens de secularibus clericis expresse id declarat dicens, *Seculares Clerici, & religiosi*.

ios administrationem habentes, & religiosi &c. Supponit ergo nomen clerici indifferens esse ad seculares, & religiosos. Et sane ille idem titulus de vita & honeste clerici, & ea omnia quae invariis eius Decretis clericis prohibentur, quia sunt ipsi ordini clericali indecentia, non minus sunt prohibita religiosi clerici, quam secularibus: non ergo vera est illa regula, quod nomen clerici usitata significatione (praesertim in iure, quidquid de vulgo sit) secularem tantum clericum comprehendat.

Quamobrem vera sententia est, sub tali suspensione religiosos clericos comprehendere, nisi ex tenore, & aliis circumstantiis, Canonis, vel sententiae alia limitatio colligatur. Hoc probant omnia adducta, & praeterea, quia si sub specialibus nominibus clericorum ordinum suspensio feratur scilicet in omnes sacerdotes, vel in Diaconos, aut Subdiaconos, &c. Qui tale fecerint, nemo (credo) dicit illam pertinere ad seculares tantum, & non ad religiosos in eo ordine existentes (neque enim dici potest sacerdotis, vel Diaconi nomen ex usu determinatum esse ad significandum potius sacerdotem secularem, quam religiosum) ergo idem erit, etiam si generali nomine clericum lex utatur, tum quia sub illa generali appellatione omnes species clericorum comprehenduntur: tum etiam quia nulla maior determinatio fingi potest in communi nomine clericum, sacerdotem, scilicet, vel Diaconum. Loquor autem ex vi verbi, quia ex aliis principis solet aliquando huiusmodi sermo ad seculares tantum dirigi, scilicet vel quia materia legis ad eos tantum pertinet, vel quia potestas ferentis mandatum seu statutum solos illos complectitur, ut si sit particularis Episcopi, qui iurisdictionem propriam in religiosos non habeat, vel denique si in lege ipsa verbum aliquod addatur, quo satis significetur mandatum ad religiosos non ferri.

SECTIO III.

An & quomodo suspensio in communitatem ferri possit.

Dicendum est, Offe communitatem suspendi receptum dogma est: quod ex iure evidenter probatur, ut statim ostendam. Ratio vero est, quia ex parte communitatis non est repugnantia, quominus hac poena vel censura affici possit: nam & Capitulum potest esse capax culpae, sicut quaelibet congregatio humana; est etiam capax officii, aut beneficii Ecclesiastici, ut per se notum est, & supra tractando de iurisdictione ad ferendas censuras, sufficienter tactum est, & in discursu huius puncti amplius explicabitur. Ergo etiam est capax priuationis, seu suspensionis ab huiusmodi officio, & beneficio. Aliunde vero Ecclesia non prohibuit Capitulum affici hac poena, imo usum eius probavit & exercuit. Et ratio differentiae inter illam, & excommunicationem fuit, quia hac poena non est adeo spiritalis sicut excommunicatio, id est non priuat internis bonis seu Ecclesiasticis auxiliis, quae ad internam animae salutem ordinantur, & profunt: & ideo non est in hac poena illud animarum periculum, propter quod prohibitum est ne excommunicatio in communitatem feratur: neque est absurdum ut Innocentes aliquando suspensionem ligentur sicut excommunicatione, ut infra dicam. Ut autem hoc amplius explicetur, advertendum est, duobus modis posse communitatem suspendi. Primo praecise ut communitas est, id est, quatenus est unum corpus politicum habens actiones proprias, & bona etiam propria, quae ita pertinent ad totam communitatem, ut ad singulas personas per se non spectent. Secundo potest communitas suspendi, distributive

potius, quam collectivae: ut si Clerus huius civitatis suspendi dicatur, quia omnes & singulae personae clerici suspenduntur. Vnde posset addi tertius modus ex his duobus coalescens, si videlicet suspensio ita feratur in congregationem aliquam, ut & corpus eius collectivae sumptum quoad actiones, aut beneficia eius suspendat, simulque ad singulas personas talis congregationis descendat, easque ad personalibus officiis, aut beneficiis suspendat. Dubitari ergo potest, quo ex his modis suspensio in communitatem feratur, auferri possit: nam & de potestate, & de actu inquirendum est.

De potestate ferendi suspensionem in communitatem.

Dico ergo secundo, suspensio ferri potest in communitatem praecise ut communitas est. Ita conuincit ratio supra facta. Et probatur ex iure, descendendo simul ad singulas species suspensionum. Nam de suspensione ab officio quoad actus collationis beneficiorum habetur in cap. vnic. Ne Sede vacante in 6. cum tamen illa collatio saepe soli Capitulo ut sic conveniat. Idem sumitur ex cap. Romana, & cap. Si sententia, de Sentent. excomm. in 6. & ex Concilio Trident. sess. 24. c. 16. ubi Capitulum, quod sede vacante non constituit Oeconomum & Vicarium tempore & modo ibi praescriptis, facultate constituendi illos ministros priuatur: quod est quasi ab eo munere repro ea vice suspendi.

Suspensio autem ab officio quantum ad actus ordinis non cadit proprie in Capitulum ut sic: quia illi actus non fiunt per totam communitatem, sed per singularem personam. Potest autem Capitulum delegare interdum hos actus ordinis quatenus ad iurisdictionem pendunt, ut Sede vacante confessores creare, Episcopum vocare, qui ordines conferat, & similia iuxta cap. Is cui, de Elect. in 6. additis c. penult. & ult. de Supplend. neglig. Praelat. in 6. & c. Cum nullus, de Tempor. ordin. in 6. cum similibus. Igitur quoad hoc poterit etiam Capitulum suspendi, ne has delegationes seu commissiones facere valeat: nam eadem est ratio de his, & de alijs actibus iurisdictionis. A beneficio item suspendi potest Capitulum ut sic, ut aperte colligitur ex cap. Quisque, de Electione in sexto, & ex Extravagant. i. de Electione: ubi non solum Capitula Ecclesiarum, sed etiam Conventus monasteriorum, scilicet regularium, ut ibi Glossa exponit a beneficiis suspenduntur: non solent autem singuli religiosi de conventu propria habere beneficia; sed tota communitas interdum habet aliqua beneficia sibi vnita: igitur ab huiusmodi beneficiis suspenditur totus conventus. Vnde fit idem operari huiusmodi suspensionem circa Capitulum ut sic, quod in priuata persona operatur similis suspensio, proportionem seruata: nam & priuat Capitulum fructibus beneficii, & impedit, ne suos illos efficiat, vel si ab officio sit suspensio, priuat usu iurisdictionis, & consequenter impedit, ne actus eius validi & ratione sint.

Dico Terrio, posset suspendi Capitulum, non solum, quatenus unum corpus politicum est, sed etiam ita, ut singuli a suis propriis, ac personalibus officiis, aut beneficiis suspendantur. Probatur, quia cum totum Capitulum ita delinquit, ut sit suspensio dignum, illud delictum ita est totius corporis, ut tamen per singulares personas exerceatur, ut per se constat: potest autem delictum esse & omnium, & singulorum, & adeo grane, ut per solam suspensionem ab officiis vel beneficiis communibus non satis puniatur: ergo potest talis suspensio ferri, quae non solum totum Capitulum ut sic afficiat, sed etiam singulas personas a beneficiis, vel officiis personalibus suspendat. Et confirmatur, nam, cum Capitulum interdicatur, singulae personae interdicuntur, ut

Suspensio ferri potest in communitatem, ut communis est. Cons. Triad.

Quibus modis possit communitas suspendi.

infra

infra suo loco videbimus: ergo potest Capitulum ita suspendi, ut singula etiam personae suspendantur: nam licet quoad hoc non sint omnino similes hae censurae, ut infra ostendam, in hoc tamen esse possunt: quando est in personis singulis sufficiens causa & ratio suspensionis sic lata, cum in iudice seu superiore non desit potestas ad convenientem & proportionatam penam imponendam. Et confirmatur tandem ex cap. *Quia saepe*, de Electione in 6. ubi Capitulum ita suspenditur ab officiis, & beneficiis, ut etiam singulae personae suspendantur à suis beneficiis donec restituant. Verum est tamen, quando suspensio fertur hoc modo, duplicem quodammodo suspensionem per modum vnius ferri: nam & suspenditur Capitulum per modum vnius, & praeterea fertur vniuersalis suspensio in omnes clericos, ex quibus tale Capitulum constat. Vnde etiam colligitur, hanc secundam posse etiam per se ferri sine prioritate ut non suspendatur Capitulum, ut Capitulum est, seu per modum vnius corporis, sed solū multitudo quaedam constans ex his hominibus, quae licet nomine collectiuo significetur, ut nomine clerici, vel alio simili; retamen vera suspensio tunc solū fertur distributue in omnes clericos talis populi, &c. De quo modo suspensionis plura statim dicemus.

De usu ferendi suspensionem in communitatem.

Suspensio in Capitulum simpliciter lata de qua intelligenda.

Dico quarto, licet haec vera sint quoad potestatem, nihilominus iuxta frequentem usum, suspensio in solum Capitulum ut sic fertur, nisi aliud in iure vel sententia expresse declaratur. Probat, quia Capitulum in rigore non significat singulas personas de Capitulo, sed vniuersitatem ipsam: ergo suspensio Capituli solum communitatem ligat, ut vnum corpus est, quia vis illorum verborum non solum hanc interpretationem patitur, sed etiam exigit in omni proprietate: nam dicitur in l. *Sicut muni. ipsi*, ff. Quod cuiusque vniuer. nom. Non, quod vniuersitas debet, singuli debent: ergo ita est huiusmodi suspensio & poena interpretanda. Dixi autem, Nisi aliud in sententia vel iure declaratur, quia tunc cum potestas non desit, ut ostensum est, clarum est talem esse suspensionem, & eius effectum, qualem verba ipsius legis aut sententiae declarant. Addi potest. N. si ex materia, vel circumstantiis aliud constet: quia perinde est, ac si verbis declaratur, tunc autem talis esse censetur casus (ut in simili de interdicto dicemus) quando contigit suspensionis materiam, vel effectum intentum talem esse, ut non possit comparari, nisi suspensio ad singulas personas redundet.

Quando intelligatur suspensio communitatis in singulas personas redundare.

Exemplo ca. in 6. ubi sic fertur suspensio, Decernimus, ut hi, qui de Quia saepe, de Electione, in 6. res illustratur.

Exemplum est in dict. cap. *Quia saepe*, de Electione in 6. ubi sic fertur suspensio, Decernimus, ut hi, qui de cetero praemissa praesumpserint, eo ipso sint, & tamdiu maneant ab officio & beneficiis quibuscunque suspensi, donec restituerint: quidquid de bonis perciperint supra dictis. Praemittitur autem in eodem textu, quod quaedam Capitula siue conuentus, & singulares eorum personae Sede vacante bona Praelati, vel ipsius Sedis occupabant, & inter se diuidebant: ergo suspensio inferius lata non solum cadit in conuentus ipsos, sed ad singulas personas descendit, quatenus singulae erant participes illius delicti, & ad restituendum tenebantur. Vnde illa suspensio fertur in omnes delinquentes, siue sint communitates aliquae, siue singulares personae: quod necessarium esse diximus, ut per suspensionem contra communitatem latam singulares etiam personae suspendantur. Et ideo si aliqua personae essent participes illius delicti ut membra communitatis, & non ut priuatae personae deliquissent, vsurpando praedicta bona, illam suspensionem non incurrerent. Atque id semper necessarium videtur, ut suspensio sic extendatur, sicut ex dictis constat.

A Quocirca, si suspensio feratur contra aliquam communitatem, quae non conficit proprie vnum corpus Collegij, quod communi consilio, & auctoritate res communes administrat, sed tantū est quaedam multitudo Ecclesiasticarum personarum, quae per modum vnius collectionis significatur, ut si suspensio feratur in clerum Conimbricensem, talis suspensio propter subiectam materiam non potest ferri in communitatem, ut communitas est, quia neque illa habet actiones, vel administrationes aut beneficia communia, à quibus suspendatur neque etiam est proprie vnum corpus morale, quod suspendi possit. Quamuis ergo suspensio feratur sub illo nomine collectiuo, fertur tamen in singulares personas: non aliter quam, si distributue seu indefinitē ferretur in clericos hoc vel illud facientes. Vnde sit ut talis suspensio singulas personas à suis officiis vel beneficiis suspendat, non tamen omnes, etiam si omnes sub collectiuo nomine comprehendere videantur, sed solum illas, quae causam vel delictū, ob quod suspensio lata est, commiserunt: quia ut iam dicemus, suspensio non incurritur, nisi propter culpam.

Tandem addendum est, communitatem illam, in quam ferri potest suspensio debere esse Ecclesiasticam, seu clericorum, quia, quod supra ostendimus, solos clericos esse capaces huius censurae, eadem proportionem applicandum est ad communitatem, cui ferri potest: rationibus ostendi potest. Solet autem talis suspensio regulariter fieri cum expressione communitatis, vel in speciali contra tale vel tale Capitulum, vel in generali contra Capitulum conuentus, &c. Vel definite contra illa tantum, vel sub defunctione, seu distributione, scilicet contra hoc facientes, siue sint Episcopi, siue Capitula, &c. Adde vero, quāuis haec distributio expresse & speciatim non fiat, si generatim feratur suspensio contra omnes, qui hoc vel illud fecerint, & actio illa vel delictum, ob quod fertur suspensio, tale sit, ut à Capitulo, vel conuentu committi possit, suspensionem etiam ad illa extendi, quia sunt capacia talis suspensionis; & ipsa generaliter lata est, ut supponitur. Quod quidem dubitationem non habet, quando nullum ponitur determinatum nomen personale, sed tantum signū distributiū, cum pronomine vniuersali, ut omnes qui hoc fecerint. Quicquid, hoc fecerit, &c. Quia sub illa distributione propriissime continentur congregationes. At vero, si addatur nomen personale, ut omnis homo, omnis clericus, omnis persona Ecclesiastica. Tunc potest esse nonnulla dubitandi ratio, quia Capitulum neque est homo, nec clericus, nec persona: nihilominus tamē censo etiam sub illa distributione comprehendere, tum quia in praesenti materia secundum communem usum, sub homine, hominum congregatio comprehenditur, ut declarauimus supra de censuris in communi, tum etiam, quia delictum communitatis non fit, nisi per ipsas personas, saltem ut sunt membra illius communitatis: & ideo sub eadem ratione illas comprehendit.

D qui hoc fecerint. Quicquid, hoc fecerit, &c. Quia sub illa distributione propriissime continentur congregationes. At vero, si addatur nomen personale, ut omnis homo, omnis clericus, omnis persona Ecclesiastica. Tunc potest esse nonnulla dubitandi ratio, quia Capitulum neque est homo, nec clericus, nec persona: nihilominus tamē censo etiam sub illa distributione comprehendere, tum quia in praesenti materia secundum communem usum, sub homine, hominum congregatio comprehenditur, ut declarauimus supra de censuris in communi, tum etiam, quia delictum communitatis non fit, nisi per ipsas personas, saltem ut sunt membra illius communitatis: & ideo sub eadem ratione illas comprehendit.

Aliae dubitationes, quae hic moueri possent, ex dictis supra de censuris in communi peti possunt, praesertim illa: an, qui semel suspensus est, possit iterum suspendi: non est enim dubium, quin id fieri possit, non solum, quando suspensiones sunt diuersarum rationum seu effectuum, sed etiam, si ab eisdem rebus suspendantur, propter diuersas causas vel titulos. Illa vero questio, an talis censura possit ferri in defunctum, hic non habet locum, cum defunctus Ecclesiasticas functiones exercere non valeat. Quatenus vero defunctus interdum fruatur aliquo tempore post mortem fructibus beneficii potest suspensio à beneficio vel lata tempore vitae ad illud tempus post mortem extendi: vel etiam post mortem ferri per modum purae poenae propter delictum commissum: neutrum enim iurisdictionem humanam excedit.

SECTIO IV.

Utrum suspensio ferri possit solum propter culpam eamque mortalem.

A iuste suspendi propter culpam alterius: quia nemo potest puniri propter peccatum alterius, proprie loquendo, nisi quatenus vnus reputatur res alterius, vt filius patris, vel seruus domini: quod in presenti non videtur posse locum habere.

Que suspensio absque propria culpa, que vero tantum propter illam feratur.

Potest interdum suspensio late dici de omni prohibitionem vtendi aliqua potestate: & sic verum est suspensionem non semper requirere culpam eius, qui suspenditur, sed causam posse sufficere: & hoc conuincit cap. illud, *Vel non est compos*, cum aliis pro prima sententia allatis. Constat autem illud genus prohibitionis nec esse propriam censuram, cum non sit ob contumaciam, neque etiam propriam poenam, cum non sit ob culpam: quod verum est, etiam respectu suspendentis, vt statim explicabo. Alio ergo modo possumus loqui de suspensione, prout dicit propriam speciem censuram vel saltem poenam Ecclesiasticam: & hoc sensu dicimus suspensionem nunquam ferri nisi propter aliquam culpam eius, qui per illam directe ac per se suspenditur. Hoc videtur sufficienter probari ex dictis, tū hic, tum supra de Censur. in com. tum ex illis principiis generalibus, Rem, *que culpa caret, in damnum vocare non conuenit*. c. 2. de Constitutionibus, & illud. *Peccata suos auctores tenere debent, nec poena est vltius protrahenda quam delictum fuerit in excedente reperiunt*, cap. 2. de iis, quæ sunt à maiore parte Capituli. De quibus principiis quomodo in interdicto aut verificentur, aut exceptionem patiantur, infra suo loco videbimus: neque enim est necesse, quæ in interdicto inueniuntur, ad suspensionem omnino applicare, cum non sint eiusdem rationis.

Quin potius addo suspensionem etiam priori modo, & late sumptam, præsertim ab ordine, vel officio, nunquam imponi propter alterius culpam, sed considerato etiam aliquo defectu eius, qui suspenditur: & licet non sit culpa, est sufficiens, & rationalis causa talis prohibitionis. Hoc patet ex titulis de clerico ægrotante, tam in antiquis, quàm in 6. vbi propter lepram, vel aliud simile impedimentum remouetur sacerdos ab officio altaris: & semper additur ratio, vel propter securitatem, vel propter tollendum scandalum vel propter aliam similem causam. Idem obseruauit Panor. in dist. cap. *Vel non est compos*, num. 4. cum enim in eo textu dicatur, *ordinatum in ætate præmatura suspendi in iniuriam ordinatis, obicit Abbas quod propter factum alterius non debuit iste suspendi*. Et respondet, licet causa impellens ad talem suspensionem fuerit delictum ordinantis, tamen causam finalem fuisse defectum ætatis ordinati: & hoc ipsum Glossa ibi significauit. Vbi etiam expendo non dixisse Pontificem in eo textu, suspendi ordinatum in poenam ordinantis, sed in iniuriam ordinantis, id est in confusionem eius, & vt euidentius constet; quantum errauerit, ordinando illum, quem ob defectum ætatis suspendi necesse est. Quod à simili declaratur optime in capit. *Decernimus*, 16. q. 7. ibi, *Ordinationem suam irritam nouerit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco ordinari*: idem enim significat in vno loco iniuriam, atque in alio ad verecundiam. Atque hoc modo quod circa vnā personam fit, redundat in aliqualem poenam, seu reprehensionem alterius, qui deliquit, non tamen propter illam solā causam fieret, nisi ex parte eius, qui prohibetur, sufficiens etiam causa intercederet, quam non oportet esse in eo culpabilem: quia talis prohibitio, ei non imponitur in poenam, sed propter quādam incapacitatem, seu improprietatem in ordine ad tale ministerium cuius decentia, ac reuerentia in hoc præcipue consulitur. Dixi autem præcipue ab ordi-

Hæc est potissima quaestio circa finalem causam huius censuræ: de qua multi senserunt posse contrahi sine culpa: habentque fundamentum in c. 1. de Ordin. ab Episc. qui renunc. Episcopo, vbi qui ignoranter & sine culpa ordinatur ab huiusmodi Episcopo, ob culpam eius suspenditur. Idem suadet cap. *Vel non est compos*, de Tem. ordin. vbi puer ordinatus in ætate tredecim annorum suspenditur ab executione officij Diaconi vnque ad ætatem legitimam in iniuriam ordinantis, vt ibi dicitur: non ergo in poenam ordinati, imo ex textu illo colligi non potest puerum illum deliquisse suscipiendo ordines, sed solum Episcopum: ergo propter culpam alienā potest aliquis suspendi, præsertim si ex parte etiā eius, qui suspenditur, interueniat aliqua rationalis causa, qualis erat in prædicto casu decentia, ne puer tredecim annorum in ordine sacro ministraret. Et hinc potest generalis ratio sumi, quia suspensio, non priuat bonis per se pertinentibus ad bonū propriam animæ sicut excommunicatio; sed priuat functionibus per se pertinentibus ad commune bonū: interdum autem potest pertinere ad bonum commune, vt aliquis priuetur ad tempus huiusmodi functione sine culpa sua ob aliquam rationabilem causam: ergo potest interdum ita ferri. Et confirmatur, quia ob similem rationem interdictum comprehendit aliquando personas innocentes, vt infra dicemus. Atque ita sentit D. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. quaest. 2. ad 2. Syluest. verb. *Suspensio*, num. 4. vbi ait, suspensionem aliquando imponi ex causa sine culpa, vt patet (inquit) ex practica currente. Idem tenent Canonistæ, vnde Abbas in cap. *Si celebrat*, de cleric. excommunic. ministr. n. 4. ait, suspensionem quandam ferri propter delictum, aliam propter defectum, aliam propter infamiam: priora duo membra nota sunt ex dictis, tertij exemplum est de publico concubinario, seu publica illius criminis laborante infamia, qui propter vitandum scandalum celebrare prohibetur. Et hoc modo quidam aiunt, aliquem posse suspendi: non solum sine culpa, sed etiam sine causa, scilicet quæ vere illi inest, quia eius infamia seu communis opinio sufficere.

Alij vero censent suspensionem non posse ferri sine culpa propria eius, qui suspenditur. Ita tenet Nauarr. in c. 27. num. 151. & Caiet. in Sum. verb. *Suspensio*, idem supponit, & Arctinus, quem Nauarr. citat in cap. *Cum non ab homine*, de iudiciis. Fundamentum est, quia suspensio proprie dicta habet rationem poenæ, poena autem non imponitur propter culpam. Respondent, poenam non imponi semper propter culpam propriam, sed interdum propter alienam: & patet quando suspenditur communitas propter delictum, cui multi ex communitate non cooperati fuerunt, & nihilominus suspensi manent, licet in eis non sit culpa. Veruntamen, si consideretur superius dicta, hoc exemplum parum ad rem facit: nam suspensio, quæ proprie & præcise in communitatem fertur, non suspendit singulas personas secundum se, sed solum communitatem, quæ tamē suspendi non posset nisi deliquisset. Quod vero in eius delicto aliqua eius membra non participauerint, parum refert, quia non ipsa suspenduntur, sed totum, quo suspensio, consequenter sit, vt partes non possint operationes totius pro tunc efficere; quod non proprie est puniri propter peccatum alienum, sed est aliquo modo participare poenā totius quod peccauit, quod nullum inconueniens est. Extra hunc vero casum non apparet, quomodo aliquis possit

Fr. Suarez, tom. 5.

Qq

ne,

ne, vel officio, quia à beneficio, id est à fructibus eius, interdum potest quis ex parte privari propter commune bonum, vel alias causas sine ullo proprio defectu: illa vero non est suspensio, sed distributio iustitiae talium fructuum, quorum dispensatio ad Pontificem maxime pertinet. In hoc autem servatur proportio, quod etiam suspensio à beneficio nunquam fit sine propria culpa.

Vnde intelligi potest, illud impedimentum ordinis participare potius quendam irregularitatis modum: quam esse propriam suspensionem. Propria enim suspensio de qua loquimur, est quasi privatio moralis in subiecto de se habili, sine impedimento alterius rationis, & hanc dicimus non imponi sine culpa, quia nisi feratur per modum censurae, aut poenae, non videtur posse cum ratione imponi. Hinc Panormitanus supra distinguit duplicem suspensionem, scilicet, ob defectum, vel ob crimen. Et ne videantur solis nominibus, vel causis differre, constituit in effectibus differentiam: nam qui priori modo suspensus actum ordinis exercet, non fit irregularis, sicut fieret, si esset posteriori modo suspensus, ut supra diximus. Quam differentiam probat, quia suspensus ob solum defectum non est directe interdicta executio officii, & iure non cauetur, quod ille fiat irregularis. Quae ratio non caret difficultate: quomodo enim illi non est interdicta executio officii, cum vere ac proprie sit prohibitus in suo ordine ministrare, ut patet ex dict. c. *Vel non est compos.* Nam, quod hæc prohibitio sit ob defectum, non satis est, ut propterea negetur esse directa interdictio. Quod, si hoc ita est, vnde constat, cum iura dicunt, suspensum ministrantem in suo ordine fieri irregularem, non comprehendere eum, qui ob defectum suspensus est. Sed nihilominus illa sententia Abbas fuit etiam Innocentii, eamque sequitur Dominicus in c. *Apostolica*, §. 6. d. Couarr. in Clem. si furiosus p. 1. §. 1. n. 4. & Salzedo in Pract. ca. 26. lit. B. qui alios refert, & est tenenda: quia hæc irregularitas in iure solum inveniuntur respectu eorum, qui sunt suspensi propter crimen, & ita stricte interpretanda. Et fortasse ratio à priori est, quia ut dicebam, illa prohibitio ob defectum, magis est irregularitas quædam, quam propria suspensio: irregularis autem ob corporis defectum, si ante dispensationem celebret, non incurrit novam irregularitatem, ut bene notavit Turrec. in dict. ca. *Apostolica*, refertque in dictam sententiam Archidiaconum: & addit ita servari vsu Romanæ Ecclesiæ, nam in huiusmodi casibus solum dispensatur in tali defectu, non vero in alia irregularitate contracta in celebratione: quia in iure non est expressa, ut infra latius dicemus. Et tractabimus aliud exemplum tactum à Turrecrem. de publico concubinario, quem dicit non fieri irregularem celebrando. Aliud etiam exemplum huius suspensionis ex defectu est supra tactum Disp. 11. sect. 3. & iterum infra Disp. 31. sect. 1.

Discrimen
inter suspen-
sionem ob
defectum &
ob crimen.

Abbas.
Innoc.
Dominic.
Couarr.
Salzed.

Quæ culpa ad suspensionem sufficiat.

1 Senten.
Caiet.

Difficultas est, an mortalis sit necessaria, aut venialis sufficiat. Caietan. enim in Summa. verb. *Suspensio*, absolute ait incurrere ex solo veniali peccato: & probat, quia est minor poena, quam excommunicatio minor, cum hæc priuaret maximis & valde necessariis bonis, scilicet sacramentis: sed excommunicatio minor incurritur propter peccatum veniale: ergo & suspensio. Et idem sequitur Armilla verb. *suspensio*, in principio: nec dissentit Nauar. cap. 27. numero 151. 159. & 165. Alij vero absolute asserunt, necessariam esse culpam mortalem, ut hæc censura imponi, aut contrahi possit. Quam sententiam tenuit Arctinus, ut Nauar. refert; & eam videtur sequi Soto in 4. d. 22. q. 3. art. 1. concl. 2. et itaque hoc tempore valde recepta. Quia suspensio, ut est in vsu Ec-

Armilla.
Nauar.

2 Senten.
Arctin.
Soto.

clesiæ, acerbior poena est, quam ut pro sola veniali culpa secundum aequitatem, & Ecclesiasticam pietatem imponi possit. Neque verum est, moraliter & secundum prudentem estimationem loquendo, maiorem poenam esse excommunicationem maiorem, quam suspensionem ex genere suo, ut supra declarauimus ex eo quod, licet priuaret vsu maximorum bonorum, tamen & facile tolli potest, & non inducit damnum irreparabile: suspensio vero & sæpe inducit irreparabile damnum, & difficilius tollitur, & nonnullam infamiam secum affert. Sicut etiam irregularitas non priuaret perceptione sacramentorum, tamen propter similes circumstantias, omnium consensu censetur grauior poena.

Sed iudicium inter has sententias facile est ex his quæ in superioribus diximus de suspensione maiori & minori, seu graui & leui. Cum enim secundum iustitiam rationem seruari debeat proportio inter poenam & culpam, suspensio grauis imponi iuste non poterit nisi propter grauem, seu mortalem culpam, nam illa sine dubio est grauis poena. Quis enim dicat posse aliquem priuari fructibus sui beneficii per annum propter culpam venialem. Idem autem est de qualibet simili suspensione graui. At vero si suspensio leuis sit, poterit propter peccatum veniale imponi, ut suspensio quoad vnum actum electionis, vel quoad distributiones vnius horæ, vel vnius diei. Quod maxime locum habet in suspensione, quæ ab homine fertur: nam quæ feruntur à iure communi regulariter sunt grauiiores, & non incurruntur nisi propter peccatum mortale, quia leges Ecclesiasticæ, non puniunt tam seuerè venialia peccata. Nam neque minor excommunicatio incurritur ipso iure propter veniale peccatum nisi in casu communicationis cum excommunicato: quod specialiter videtur factum in odium excommunicationis maioris, ut cum maiori rigore seruetur. Quocirca (quod attente obseruandum est) si grauis suspensio ab officio & beneficio in iure imponatur propter aliquod crimen, & aliquis committat illum actum mortalem in specie, peccando solum venialiter, non incurrit talem suspensionem in conscientia, siue talis actus sit veniale peccatum ob imperfectam deliberationem, seu leuem inaduertentiam, siue ex leuitate materia: quia priori modo talis actus in genere humani actus est imperfectus: posteriori autem modo est imperfectus in tali specie morali, & inculpata poenæ. Diximus autem in superioribus, cum de censuris in communi ageremus, quando lex punit aliquem actum simpliciter, intelligendum id esse de actu perfecto in genere moris, & in specie, quæ per illam vocem simpliciter prolata significatur: & ratio iustitiæ postulat ut intelligatur de actu moraliter digno tali ac tanta poena. Statim vero hic sese offerebat questio, an suspensio lata sine tali causa vera & in re existente, sed solum præsumpta, vel in exteriori foro probata, vere teneatur, & liget eum, in quem fertur. Sed hanc rem copiose tractauimus de censura in communi: & ideo ea repetere non est, sed applicari debent ad hanc particularem censuram ea, quæ in communi sunt dicta.

SECTIO V.

Quis modus seruandus sit in suspensione seruanda.

In hac sectione explicanda est formalis causa, qualis in suspensione esse potest. Ad illam vero exponendam distinguere oportet inter suspensionem ipso iure vel ab homine latam: nam ut prius ponatur, & incuratur, nulla alia forma necessaria est,

est, præter verba legis, quibus sufficienter significatur, talem censuram seu penam ipso facto incurram imponi. Est enim certa regula, pro nullo actu vel crimine incurri suspensionem ipso facto, nisi id sit expressum Ecclesiastico iure, cuius sola efficacia imponitur. Hoc autem ius Ecclesiasticum esse potest aut commune canonicum, sub quo omne ius Pontificum, quod totam Ecclesiam vniuersaliter obligat, comprehendimus, aut speciale alicuius Episcopatus, vel religionis. Supposito ergo tali iure & potestate condendi illud, necesse est ut verba legis sufficienter ac determinate declarent speciem suspensionis, & modum imponendi illam, quia lex nec potest operari aliquid nisi specifice & determinatum, nec potest plus operari, quam verbis explicet: vtrumque autem horum sufficienter est in superioribus declaratum.

De forma suspensionis ab homine.

Cum vero suspensio ab homine fertur (sicut de censura etiam in communi dixi) circa modum ferendi illam considerari possunt, scilicet quid præcedere debeat, quid comitari, seu in illa ferenda seruari, quid vero subsequi. Circa primum queri solet, an suspensionem debeat præcedere admonitio, de qua etiam diximus late de censuris in communi, neque hic aliquid occurrit addendum. Seruanda enim est distinctio de suspensione pro contumacia quam nos proprie censuram appellamus, & quæ pure fertur in penam propter commissum delictum. Et de priori dicendum est, necessarium esse ut præcedat monitio, villo loco late probauimus: & ex ipsius terminis patet, quia nisi præcedat monitio, non potest sequi contumacia: ergo nec suspensio pro contumacia. Posterior autem suspensio sæpe imponitur sine præuia monitione, ut patet ex capitulo *Tam iherus*, de Testibus, ubi Papa quoddam suspendit propter quoddam delictum, etiam si nec monitio ab homine præcessisset, neque à iure per legem aliquam, quæ tale delictum sub tali pena prohiberet. Et quotidie videmus id fieri in suspensionibus, quæ ab homine feruntur: nam licet sæpe ferantur iuxta aliquam legem, & tunc dici posset, quod, per eam præcesserit sufficiens monitio; tamen sæpe etiam imponitur suspensio arbitrio iudicis, ad tempus aliquod, iuxta circumstantias causæ. Ratio vero est, quia quando pena imponitur propter delictum commissum præcisè, sustinenda est, quantumvis homo resipiscat, & ipsum poeniteat prioris delicti: & ideo ad talem penam ferendam monitio illa, quæ ad resipiscendum ordinatur, necessaria non est. Et in hac doctrina cōueniunt communiter Doctores & Summistæ, quos in citato loco sufficienter adduxi.

Circa secundum punctum, quod attinet ad verba quibus talis censura ferenda est, certum est nulla determinata verba requiri præterea, quæ sufficienter significant modum, speciem, seu effectum suspensionis, ut notauit Nauarrus in Summa cap. 27. num. 161. & omnes, satisque constat ex dictis supra de censuris in communi, & paulo ante in declarandis effectibus suspensionis: ibi enim vim singulorum verborum, quibus ferri potest, aut solet suspensio, exposuimus. De hac ergo verborum forma nihil addendum superest, præterquam quod necesse est ut talia verba non sola voce, sed scripto exhibeantur: quanquam hoc non sit de substantia, sed de præcepto iuxta cap. 1. de Senten. excommuni. in 6. Quam rem late declarauimus supra agentes de censuris in communi. Adde etiam, oportere, ut in tali suspensione ferenda seruentur aliæ conditiones ad validitatem sententiæ necessariae, & præsertim illa ut suspensio non feratur post interpositam appellationem: quia erit nulla, ut est cōmunis sententia Suarez tom. 5.

A tentia in cap. 1. de Sent. excomm. in 6. ubi videntur suspensio & excommunicatio parificari: & (quid sit de aliis rebus) in hoc versatur eadem ratio: quia nullitas provenit ex defectu iurisdictionis, quæ per appellationem suspenditur. Unde si è contrario appellatio sequatur post sententiam suspensionis, non impedit effectum eius cap. 1. *is cui*, de Senten. excomm. in 6. Et quamuis Abb. in c. 2. de cleric. excomm. ministr. num. 2. & in cap. *sape*, de Appellat. num. 16. hoc limitare voluerit ad illam suspensionem, quæ est propriissime censura, & pro contumacia fertur, quia illa, quæ est pure pena, suspendi potest per appellationem, sicut & aliæ penæ: id tamen probandum non videtur, tum quia dict. cap. 1. *is cui*, simpliciter loquitur de suspensione absque distinctione: in iure autem nomen suspensionis indifferenter significat eam, quæ pro contumacia, vel pro commissio delicto fertur: tum etiam, quia ratio ob quam suspensio non suspenditur per appellationem eadem est in vtraque, scilicet, quia sententia suspensionis sicut excommunicationis secum trahit executionem, iuxta cap. *Pastoralis*, §. *Verum*, de Appellationibus, quod tam est verum in suspensione, quæ est pure pena pro delicto, sicut in ea, quæ pro contumacia fertur.

Circa tertium de Denunciatione iam supra ostendimus, Extravagant. *Ad evitanda*, ad suspensionem extendi ideoque licet quoad ipsum suspensum denuntiatio non sit necessaria, ut omnes suos effectus operetur, quoad alios necessarium esse, ut eum vitare teneantur. Neque erit satis quod suspensio sit publica & notoria, quidquid Nauarrus, & alij dicant, quia iuxta veram & tenendam lectionem illius Extravagantis, hæc exceptio de publica censura solum fit in manifesto clerici percussore, qui non suspensio, sed excommunicationem incurrit: ideoque in hac suspensionis censura sine vlla exceptione verum est, usque ad denunciationem in particulari & proprio nomine factam non esse suspensum ab aliis vitandum.

Dices, Suspensio non est censura priuans communicatione hominum: nam in hoc differt ab excommunicatione: ergo ex vi suspensionis nunquam alij tenentur vitare ipsum suspensum, etiam si denunciatus sit: quid est ergo, quod in illa Extravag. conceditur respectu suspensi non denunciati. At hoc Nauarrus in Summa c. 27. n. 163. in fine absolute affirmat, sicut tenemur vitare excommunicatum in omnibus, ita & suspensum in his, à quibus suspensus est, in cap. 1. §. *Libet*, de penit. d. 6. n. 18. ait, grauius esse non vitare suspensum in his, in quibus suspensus est, quam non vitare excommunicatum, quia hoc posterius, regulariter (inquit) est peccatum veniale non evitare autem suspensum, vel interdictum, in quibus suspensus est, nemo dixit non esse mortale. Sed contra hoc in isto, quia Ecclesia non prohibuit directe fidelibus communicationem cum suspensio, vel interdicto, etiam in actibus à quibus suspensus vel interdictus est, sicut directe prohibuit communicationem cum excommunicato. De hac enim posteriori prohibitione habemus multa iura? de priori vero nullum. Explo item id declarari potest, nam si interdictus ab ingressu Ecclesiæ violenter interdictum ingrediendo, & ibi audiendo Missam, non sunt alij prohibiti, quominus ibi esse possint, & eadem Missam audire, qui ibi sunt, non tenentur exire, vel diuinum officium omittere quia nullus textus est, in quo de interdicto hoc habeatur, sicut de excommunicatione. Et pariter, si interdictus celebret in Ecclesia, qui eius Missam audit, perse loquendo, & secuso scandalo, & cooperatione non peccant, quia nullo iure prohibiti sunt; & alioqui actio illa per se mala non est. Ergo eadē ratione, si suspensus ab officio diuino illud in Ecclesia canat, qui illud audiunt, contra nullum ius ecclesiasticum operantur: ergo nec peccant: quia

Qq 2 ex

Regula pro forma suspensionis ab homine.

2. An præcedere debeat monitio.

3. Nota est planctus suspensio non excommunicatio.

Suspensio est tam in pura penam lata, non suspenditur per appellationem.

4. Denuntiatio quid hinc operetur.

5. Quomodo alij teneantur eum vitare, qui suspensus est.

Nauarrus.

ex alio capite actio illa mala non est, per se loquendo. Denique ob hanc causam ecclesiastica censura imposita est his, qui communicant cum excommunicato, scilicet excommunicatio minor, quam, vel aliquam aliam non incurrit, qui communicat cum suspensio, etiam in his, à quibus suspensus est. Si autem illa communicatio esset ab Ecclesia prohibita, & regulariter esset grauior culpa, deberet profecto eadem, vel grauiori censura puniri.

Dubii resolutio.

Respondeo, in tantum esse præceptum fidelibus evitare suspensum in his à quibus suspensus est, in quantum ex natura rei id consequitur ex suspensione eius, quando non vitare illum, vel communicare cum illo tali modo, seu in talibus actibus, vel esset cooperari ad peccatum, quod ipse committit, agens contra suam suspensionem, vel esset aliquid operari modo indebito, & sine his circumstantiis, quas talis actus ex natura sua postulat vt recte fiat: vel etiam quatenus ipse clauus Ecclesie contemnit. Sic peccat contra clauus qui suspensum ab officio inducit ad celebrandum, vel ad ferendam sententiam in penitentiali, vel externo foro: & qui suspensum à beneficio facit participem fructuum Ecclesiasticorum: nam & peccat contra iustitiam, & contra obedientiam Ecclesie debitam: nam illa prohibitio indirecte saltem in eum redundat. Et hinc etiam verum est quod Nauarrus ait, hanc communicationem cum suspensio regulariter esse peccatum mortale, quia moraliter non fit sine cooperatione cum illo ad peccatum mortale, nisi ex accidenti materia sit nimis leuis.

Quem fauorem contulerit Extrauaganti. Ex. r. a. de vitanda, communicati. suspensio non vitando.

Hinc tandem colligitur responsio ad difficultatem positam, quid nimirum contulerit Extrauaganti. Ad vitanda, fidelibus per priuilegium non vitandi suspensum non denunciatio; necessario enim dicendum est, contulisse, vt propter commodum ipsorum fidelium nunc licite sint multe actiones suspensio non denunciato, si eas faciat ad petitionem aliorum fidelium & propter eorum vel necessitatem, vel iustitiam, quæ antea ipsi non liceret. Inde igitur factum est, vt sic suspensus ab officio non sit omnino priuatus iurisdictione in foro interiori, vel exteriori, sicut antea fuisset: si enim hoc concessum non est, inutilis plane est illa concessio, vt ratio facta conuincit, præsertim supposito modo obligationis vitandi suspensum, vt explicuimus. Exempla vero huius rei in superioribus tacta sunt in singulis suspensionibus, & latius dum ageremus de Excommunicatione.

DISPUTATIO XXIX.

De Absolutione, seu ablatione suspensionis.

SUPPONIMVS suspensionem talem esse poenam, quæ licet duret, tandem finiri & auferri possit, vt in eius definitione declarauimus. Oportet autem præmittere distinctionem illam de suspensione, quæ est pure poena peccati commissi, & de illa, quæ tanquam propria censura ob contumaciam fertur, nam habent diuersos modos cessationis, seu ablationis: & ideo de illis sigillatim explicabimus à quo, & quomodo tolli possint.

SECTIO I.

Quomodo, & à quo auferatur suspensio, quæ pure poena est ob delictum commissum.



Incendum primo est, suspensionem ad certum tempus latam, elapso tempore ipso iure tolli. Hæc est communis sententia iuris pontificij interpretum cum Glossa in cap. *Sacro*, de Sent. excomm. verb. *Per mensem*, & Glossa in Clement. 1. de Decimis, ver. *Donec*, Innocenti, Abbatis, & aliorum in cap. *Cum bona*, de etate, qualis, & D. Antonin. 3. part. tit. 28. cap. 4. circa fin. Nauarr. c. 27. nu. 161. & 162. Angel. Syluest. Armill. ac denique omnium Summistarum, verbo, *Suspensio*. Et ratio manifesta est, quia suspensio vim habet ex prohibitione Ecclesie, sed prohibitio ad certum tempus facta ipso elapso cessat, quia non operatur ultra voluntatem prohibentis; ipse autem suam voluntatem definiuit ad certum tempus: ergo, illo elapso, suspensio per se cessabit. Vnde fit, vt, qui sic suspensus erat, postea deinceps vel suo officio fungi, vel fructibus sui beneficii frui absque alia facultate, vel declaratione superioris: nam ablato impedimento, res per se ipsam reducitur ad pristinum statum, & vnusquisque, qui impeditur non est, vt potest iure suo, Diximus autem in superioribus suspensum non priuari officio, vel beneficio suo, sed impediri quoad vnum: cum ergo hoc impedimentum cesserit elapso tempore, potest illo vti absque alia declaratione, vt idem auctores, præsertim Innocenti, & Abbas annotarunt. Vnde videntur etiam id intelligere in foro exteriori: est autem multo certius in interiori, vt per se ipsam sufficiens declarat. quia nullum est positum ius, quod specialiter obliget ad nouam licentiam, vel declarationem à superiore petendam. In foro autem exteriori; præsertim quando suspensio est lata ab homine, videri potest necessaria (propter eius satisfactionem) aliqua ipsius declaratio. Tamen, si ipse sententia hoc non expresse, non est cur hoc onus imponamus: satis est enim, vt, quando oportuerit, constare possit, vsque ad elapsum tempus in sententia præfixum non cepisse eum, qui suspensus erat, vt rebus illis, seu actionibus, à quibus erat suspensus.

De modo computandi tempus suspensionis variæ dubia.

Nonnulla vero supersunt minora dubia explicanda. Primum est quado incipiat hoc tempus talis suspensionis currere. Et dicendum est breuiter, incipere ab eo puncto & momento, ex quo censura seu sententia suspensionis lata est, si sit suspensio ab homine, vel si sit à iure, ab eo tempore quo delictum contra tale ius commissum est. Sumitur ex Glossa vltima cum notatione Archidiaconi, & Ioan. Andr. in cap. *Proinde*, de Electione in 6. Ratio vero est, quia censura statim operatur ac existit, secum enim affert executionem, c. *Pastorali*, §. *Verum*, de appellationibus: ergo statim incipit obligare, & ideo in illis quæ ipso iure incurruntur, sepe additur illa particula *ex tunc*, ipso facto, vel quid simile: ergo ex tunc etiam incipit computari tempus, pro quo lata est suspensio. Sed quid, si is, qui sic suspenditur, pro eodem tempore simili suspensione ligatus sit, nunquid incipiet ligari statim noua suspensione? Quibusdam enim visum est non incipere ligari secunda donec tempus prioris finiatur, ne hac occasione leuiori poena afficiatur, nam leuius est eodem tempore priuari eius fructibus, vel functionibus, duplici titulo vel suspensione, quam longiori tempore priuari per singulas suspensiones sibi succedentes. Ita refert Zabarella in *Cle-*